Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 675
Quelle:
Copyright:

hementem ad *cordatos Dei Zelatores* adhortationem abeat.

VII. *fol.* 273. absque inscriptione Epistola *J. Hussi* ad Amicum Sacerdotem *Martinum Constantia* data, quae incipit: *Magister Martine frater in christo karissime hortor te in domino* &c. et extat P. I. *Opp.* edit. 1715. p. 72.

VIII. *fol.* eod. p. 2. *Johannis* Ep. *Luthomislen.* Epistola *Bohemice* scripta *Constantiae feria V. proxima ante festum sancte Margarethe Anno* 1415. ad Regem *Wenceslaum*, qua illum certiorem reddit, nunc demum, si quando, spem optimam esse sublato schismate unionis in Ecclesiam reducendae; praeterito Sabbati die *Hussum* de sua simul et *Wiclefi* doctrina damnatum rogo esse traditum; incertum adhuc, quid futurum *Hieronymo Pragensi;* tueri se cum aliis strenue Regis existimationem contra sparsum rumorem, Regem non prorsus ab *Hussi* doctrina aversum esse &c. Egregii hujus Praesulis res solerti cura collegit *Job. Wratisl. Monse* in *Infulis doctis Moraviae. Brunae* 1779. p. 52. 8. Cum vero de *Epistola* praesente sileat, ἀνεκδοτον habeo. Incipit illa: *Nay Jasuyey ssye knyeze krali zadny a pane muoy myloſtiwy Prosim twe myloſti* &c.

IX. *fol.* 274. Commentarius *Bohemice* scriptus in *Caput I.* Evangelii *Job.* de triplici J. C. generatione, praemisso ipso Evangelio. Initium: *Toto cztenie swate vkazuye nam troye narozenie pana iesu krista* &c. Singulare hic, quod *και ἐσκηνωσεν*, *et habitavit* redditum sit per futurum *przebywati bude, habitabit*, id quod etiam in rarissima N. T. *Bohemici* Sec. XV. Editione f. observes. An id literarum ejusdem organi *b* et *v* permutationi tribuendum, atque adeo e Textu latino *habitavit, habitabit*, ortum?

X. *fol.* 282. absque Titulo Tractatus de Communione sub utraque Specie Laicis ministranda, qui infit: *Premissa posicione scolastica et tractatulo in quo sanctorum antiquorum auctoritates* &c. et est *Jacobi* seu *Jacobelli de Missa*, ut dictum ad *Cod.* DCLXII. quo te, si lubet, refer.

XI. *fol.* 330. Tractatus ejusdem argumenti brevior non nominato pariter Autore, cujus initium: *Saluator noster dominus ihesus noui testamenti institutor in cena sua nouissima ante mortem accepit panem* &c. Sub finem legas inter alia testimonia PP. *Magister Johannes Hus fidelis predicator ewangelij ihesu christi qui vinctus in carceribus ante suam mortem sic scripsit in quadam epistola: o quanta dementia ewangelium christi epistolam pauli quam dicit se non ab homine sed a christo recepisse et factum christi cum factis suorum apostolorum et aliorum sanctorum ut errorem contempnere* &c. Verba haec leguntur in *Epist.* XIX. inter editas P. I. *Opp.* p. 81. innuuntque *Hussum* jam sententiae *Jacobelli* conciliatum fuisse.

Codicem ambiunt Membranae duae, quibus charactere luculento,